

HEINRICVS OLISCHLEGER CANCELLARIUS CLIVENSIS.



Heinricus apud Belgas natus anno circitef 1500. Is post prima artium fundamenta in patria percepta, hinc inde Academias uisitauit, atq; præclaram eruditioñē sibi comparauit. Postea in Italiā profectus, Iuris studio incubuit, & Carolo Ruino præceptore usus plurimū profecit. Itaq; summum in ea professione honoris gradum obtinuit. Cum hoc modo eruditione & prudentia celebris esset, in Germaniā patriam redijt, atq; Vuilehelmi ducis Iuliacensis & Clivensis cancellarius factus est. In ea uocatione se se diligentē præsttit, & res sibi cōmendatas magna diligētia peregit. Nec eo studio contentus, uerū etiam Theologiæ & Patrum lectionibus operam dedit, atq; suis uigilijs effecit, ut etiā doctis Theologis annumerari queat. Is Heinricus multis uirtutibus etiamnum superest, & apud Belgas passim ueneranda canitie conspicuus agnoscitur. Anon.